



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1721. usque ad annum 1724

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1783

VD18 90119304

§. 2. Alterum Imperatoris Ejusdem colloquium cum laudato Oratore Pontificio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67596)

Sæc. XVIII. rios, qui ad ejus servitium destinati
 A. C. 1721. erant, adesse jussit, singulosque inter-
 rogavit, quasnam scientias & artes
 profiterentur? quibus ad Imperatoris
 votum respondentibus, Legatus die
 prima Januarii dona a Pontifice sub-
 missa tradere jussus est.

§. II.

*Alterum Imperatoris colloquium cum
 Legato Apostolico.*

*Halde &
 Vian. l. c.*

Vespere ejusdem diei Imperator per
 Cinsu Eunuchum Legato, ut Pon-
 tificis dona summo mane porrigeret,
 denunciabat, simulque Patribus Bar-
 nabitis Cesato & Ferrario indicabat,
 ut hi literas sibi a Papa commissas suæ
 Majestati die secunda Januarii trade-
 rent. Eadem igitur die Legatus cum
 omnibus Missionariis ad Imperatoris
 Palatium delatus, Pontificis dona ei-
 dem obtulit, qui mirificam ex illis læ-
 titiam capiens, vicissim ad Legatum va-
 ria hujus Regionis munera transmisit.
 Paulo post duo Eunuchi nomine Impe-
 ratoris Mediobarbo exposuere, I. quod
 ab hujus Missionis exordio sua Majestas
 minime recordetur, quod vel unquam
 ab ejus Majoribus, Proceribus vel sub-
 ditis injuria Christianis fuisset illata,
 secus ejusmodi vexationis reum severe
 casti-

castigasset, II. quod Imperator nunquam de Europæorum ritibus, utpote sibi ignotis iudicium ferre ausus fuerit, proin nec Pontifex Sinenses ritus, cum eos ex Sinensium libris intelligendo impar sit, dijudicare deberet, III. Denique Legatus a partium studio alienus, faciles aures Europæorum nulli daret, multo minus abjectis illis hominibus, qui multa falsa & injuriosa Pontifici infufurarunt, soli ergo crederet Imperatori, sicque totum negotium facillime expediri posset. Super hæc Eunuchi Legatum, ut nulla mora responderet, urgebant: Hic ergo reposuit, I. summum Pontificem omnesque Europæos maximam debitamque gratiam referre pro beneficiis huic Missioni, sacræque Sedi ab Imperatore ejusque Parente exhibitis. II. Utramque partem cum omni solertia, maturitate & studio prius a summo Pontifice fuisse auditam. III. Se non majorem uni, quam alteri parti fidem adhibiturum, sed pro officii sui ratione cunctis æquum fore, seque suæ Majestatis mentem in omnibus, quæ emergere possent, dubiis exploraturum. Dato hoc responso Eunuchi æque ac quidam Missionarii querebantur. quod ante Tournonii Cardinalis adventum Europæi in Sinensi Imperio magni habiti, postea vero vilipensi fuissent, spem

Sæc. XVIII. tamen fore, eos in pristinam gratiam
 A. C. 1721. restitutum iri, si Legatus soli Impera-
 toris voluntati obsecundare intentus
 fuerit: Verum Mediobarbus, quorum
 impulsu hæc toties repeterentur,
 haud ignarus, duntaxat respon-
 dit, tam procul ab ipso esse omnem
 creandæ molestiæ voluntatem, ut con-
 tinuatam Imperialis patrocini gratiam
 Europæis, sacræque religioni nostræ
 promereri, nullum non moturus esset
 lapidem.

§. III.

*Quæsitæ ab Imperatore proposita Le-
 gato coram Roveda Missionario
 & Patre Fan Sinenfi Jesuita.*

*Vian. Relat.
 della Chin.
 pag. 101.*

Dimissis Mandarinis Mediobarbus Vi-
 sitator Jesuitas per quicquid fa-
 crum, sanctumque orabat, atque ob-
 testabatur, quatenus nil industriæ ac
 laboris prætermittere velint, ut Impera-
 torem ad secundanda Pontificis vota,
 & postulata permoverent: Hi omnem
 quidem spondebant operam, Pontificis
 tamen decretum ejus esse naturæ aja-
 bant, ut de Imperatoris assensu merito
 dubitarent. Eadem die Mandarinus
 Chao Legatum visum ibat, eique non
 Impera-